



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

28. De adjutorio possibilitatis gratiarum actualium respectu voluntatis: ubi
de motibus ejus indeliberatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

Quod si de vehementissima omniumque molestissima cupiditate vi voluntatis solius coercenda statuunt, quid de ceteris animi motibus & passionibus sive bonis sive malis dubitari potest? Cum generalis eorum sententia sit dominam illa libertatem voluntatis atque utriusque partis possibilitatem ut Iulianus pronunciat, ad hoc solum excubare, ne homo vel in peccatum a quoquam impellatur vel a peccato abstrahatur voluntate captiva: quam non posse capi (in neutram videlicet partem) si dedit ipsa noluerit, testatur fortitudo, cuius lacerti in contempniti dolorum & pergentiles & per Christianos assidue clauerunt. Qua de re si plura videre lubet, caput tertium, quartum & quintum libri secundi consulendum est. Ex quibus perspicuum tibi fiet nullo modo Pelagianos impetus passionum & indeliberatorum motuum voluntatis libertati timuisse, utpote quam omnibus illis putant temperandis, coercendis frenandisque superiorem.

Quod spectat ad alteram questionem, an reuera Pelagiani motus illos indeliberatos bonos confessi fuerint, quibus ad amandum Deum operaque bona faciendi voluntas provocata cerneretur, ex eadem libri secundi Disputatione liquet, quid sentiendum sit. Constat enim ex varijs eorum testimonijs eos nullo modo dubitasse quin huiusmodi boni motus non minus ac mali frequenter in animum incidere; sed salva illa, quam mordicus tuebantur libertate arbitrij in utramvis partem, & indifferentia voluntatis. Hoc enim est quod dicit apud Augustinum Iulianus: *Hominem Dei opus defendimus: nec ex illius potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogit.* Ecce indifferentia illa voluntatis ut velit aut nolit, quam coactioni & subinde necessitati opponere solent, ut alibi ex professo declaravimus. Tollere enim volunt per huiusmodi phrasas illam gratiam quam Augustinus predicabat, quae nempe facit ut homo qui non volebat, velit & faciat. Hinc enim quasi contrarium asserendo Iulianus dicit: *Sed propria voluntate aut bonum facere aut malum.* Nam ut alibi diximus, quod homo facit ab alio sibi collata faciendi voluntate, quae antea non fuit, hoc hominem invitum, coactum, nolentem facere, imo nec facere aut velle certissimo

testimonio statuebant. Hoc enim respicit in sua quam subdit responsione Augustinus: *Ad hoc respondemus, inquit, nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi, quasi ipse non velit, cum ab alio voluntas nolenti datur; sed Deo deservente pro meritis ire in malum; nempe, quia de peccato in peccatum sua voluntate precipitatur, ut paulo ante dixerat: Et Deo adiuvante sine mritu converti ad bonum, accepta scilicet conversionis voluntate quae deerat. Non enim est homo bonus si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc adiuvatur ut velit, quoniam non inante scriptum est: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari &c. Et preparatur voluntas à Domino.*

Hanc ergo potentissimam gratiam negans Iulianus qua homo fieret ex nolente volens; Deo preparante, hoc est, dante voluntatem & operantem in hominibus velle & operari, ut Augustinus docet, aliud genus adjutorij profert, quo retenta sibi propria uti praemisera voluntate aut bonum faciendi aut malum, hoc est, salva illa pie-nissima volendi aut nolendi indifferentia & arbitrato homo adjuvatur incitationibus quibusdam & proritacionibus seu provocacionibus in bonum aut malum; statim adijcit allegando hominem *In bono opere a Dei gratia semper adjuvari, in malum vero diaboli suggestionibus incitari.* Vbi cum apertissime sentiat diabolicas suggestiones quibus hominis voluntas quatitur & motibus quousquam deliberationem antevertentibus provocatur, non repugnare indifferentiae voluntatis neque propterea ad malum invitum aliquem cogi; consequenter iudicat neque Spiritus Sancti suggestiones, sive ut Pelagius loquitur, *spirituale desiderium* concupiscens adversus carnalem consuetudinem, quo homo in bono opere semper adjuvatur, eidem illi voluntatis indifferentiae repugnare, neque propterea in bonum invitum aliquem cogi. Eadem enim prorsus libertatis ad utrosque motus coercendos ratio est, secundum illam Iuliani regulam, *Suscipit homo ingenitus sibi motibus dare leges.* An vero Iulianus in eodem loco veram aliquam agnoscat gratiam qua voluntas sive volitio iam excitata saltem juvatur ad plenum volendum bonum etsi non excitetur ut illud velit, paulo inferius dicturi sumus.

Vtrum nullam veram, internam & actualem voluntatis gratiam admiserint Pelagiani ante condemnationem hareleos sub Zozymo Papa.

CAPVT XXIX.

HACTENVS utcumque declaratum est omne genus adjutorij possibilitatis sive externum sive internum, sive respectu intellectus sive voluntatis Pelagianos agnovisse. Nam & leges & doctrinam & exemplum Christi & peccatorum remissionem quibus homo in singulis actibus adjuvetur; & illuminationes illustrationesque internas Dei, & concursum generalem, & gra-

tiam habituaalem, & motus bonos seu desideria quaedam bona indeliberata salva tamen illa indifferente arbitrij potestate confessi sunt. Nunc videndum an unquam veram aliquam internam & actualem gratiam admiserint quam Augustinus predicavit.

Quod ut clarius ac distinctius à nobis fiat, duo tempora videntur esse consideranda, unum quod fluxit ab initio usque ad damnationem

Lib. 1. oper. imper. c. 121

c. 4. 5. tota.

Lib. ad Bonif. c. 18.

Ibid.

Eodem lib.

c. 3.

Ibid. lib. 2.

c. 18.

In Comment.

c. 5. ad Ga.

lat. c. 27.

Lib. 5. cont.

l. 1. c. ult.

Handwritten marginal note in the right margin.